DISPUTATIO DE CESSIONE BONORUM, QUAM SUB FINEM PUBBLICAE EXPLICATIONIS...

Helfrich Ulrich Hunnius, Johann Walter, Valenti Gonzaga

REVERENDO ADMODUM
ET CLARISSIMO VIRO,

Dn. BALTHASARI MENTZERO, SS. Theologiæ Doctori, ejuſdemq; in inclytâ Academiâ Gieſſenâ Profeſſori celeberrimo.

NOBILITATE GENERIS, MORUM ELEGANTIA, *virtutis ac eruditionis laude admodum conſpicuo juveni,*

Dn. HENRICO à Deken/ Juriſprudentiæ cultori ſtrenuo.

INTEGERRIMO, PRUDENTISSIMOQ. VIRO,

Dn. JOHANNI Hettenrodt/ Senatori Hersfeldenſi, avunculo ſuo patris loco honorando.

ERUDITIONE, MORUMQUE SUAVITATE *prædito juveni,*

Dn. JOHANNI WERNHERO CRISPINO, LL. ſectatori induſtrio.

Suis reſpectivè Mœcenatibus, fautoribus, cognatis & amicis,

Diſputationem hanc Iuridicam conſecrat & offert

Johannes Gualterus, *R.*

§(o)§

THESIS I.

PESSIMA olim illorum erat conditio, qui ære alieno obruti & gravati creditoribus suis solvendo non erant: Solebant quippe, referente Aulo Gellio *lib. 20. noct. attic. cap. 1.* à creditoribus non solum in carceres conjici usq; dum postremum obulum solverent suisq; creditoribus penitùs satisfacerent, ut ex sacra quoque parobola liquidò constat, verùm etiam in perpetuam servitutem vendi.

Origo cessionis bonorum.

II.

Etsi verò Imperatorum Diocletiani & Maximiniani constitutione prohibitum sit, ne ob æs alienum liber homo servire compellatur, *l. 12. C. de obligat. & actionib.* Eorundemq; sanctione cautum fuerit, ne liberi homines pro pecunia oppignerarentur, *l. 6. C. quæ res pign dari poss.* Hoc tamen nullius Imperatoris constitutione effectum est, ne amplius pro debito civili & pecuniario, debitores, qui solvendo non sunt, in carcerem conjici à creditoribus valeant, licet paucæ quædam personæ in jure nostro hoc privilegio sint munitæ, ne à creditoribus carceri includi possint, de quibus paulò infra.

III.

Quia verò durum quodammodo & inhumanum videtur, ob æs alienũ, cui prudentissimi etiam quiq; patresfam. & ad res suas attentissimi adversâ fortunâ implicari possunt: Idcircò ex singulari humanitate & commiseratione sapientissimi Imperatores obæratis creditoribus contra carceris injuriam hoc beneficium indulserunt, ut, si debitores suis creditoribus bonis cedere parati sint, tunc in carceres detrudi non possint, *l. 1. C. qui bon. ced. poss.*

IV.

Est autem cessio bonorum *beneficium, debitoribus obæratis indultum, quo, bona sua creditoribus vendenda & distrahenda concedentes, à molestia carceris & quacunq; pœna liberentur, l. 1. & 4 C qui bon. ced. poss.*

Definitio.

V.

Appellatur bonorum cessio BENEFICIUM non quidem simpliciter ac per se, cum debitorem soleat omnibus facultatibus nudare & ad summam inopiam rerumq; omnium indigentiam redigere; Verùm comparativè solum & respectu majoris mali molestiæ videlicet carceris, ad quod evitãdum cessio bonorum introducta & comparata est, dicitur beneficium *in l 1. l. 4. l. 7. & l. 8. C. h. t. qui bon. ced. poss.* Hinc etiam *flebile appellatur adjutorium, in d. l. 7.* Itemq; miserabile auxilium, *in d. l. 8.* Reliqua definitionis verba partim ad personas, quibus cessio bonorum competit, partim ad cessionis bonorum effectum, partim denique

nique

nique ad finem ejus spectare videntur; Idcircò infra suis locis commodius explicabuntur.

VI.

Requisita cessionis bonorum.

I.

Ut porrò cessio bonorum sit legitima, sequentia hæc requisita concurrere oportet. *Primò*, ut debitum liquidum sit, sive liquidatum, vel confessione debitoris, vel sententia judicis condemnatoria: Ita enim *in l pen. ff. de cession. bonor.* Ulpianus scribit: *Qui cedit bonis, antequam debitum agnoscat, condemnetur, vel in jus confiteatur, audiri non debet*.

VII.

Cur autem debitores ad bonorum cessionem non admittantur, nisi debitum agnoverint, illudq; in jure confessi, vel in judicio de eo cōdemnati fuerint, ratio in solius creditoris favore consistit: Nam si, debito nondum liquidato, debitor, creditore invito, bonis cedere posset, quia non amplius conveniri posset debitor, obstante cessionis bonorum exceptione, nisi postquam ad pinguiorem fortunam rediisset debitor, perfacilè fieri posset, ut creditor de residuo debito tunc acturus, debitum amplius probare non posset, si testes interim & probationes, quibus tempore cessionis factæ convincere potuisset debitorem, totius debiti, quod petebat, interierint & ita ob defectum probationum integri debiti solutionem obtinere non posset.

IIX.

II.

Secundò, ut cessio bonorum sit legitima requiritur ut debitor, bonis cessurus universa sua bona juratò indicet: Aliâs enim facilimè fraus à debitore committi atque ab eodem bona quædam occultari possint; aut etiam à debitoribus solutionem debiti subterfugientibus, qui tamen adhuc solvendo sunt, bonis & facultatibus optimis quibusque occultatis inopia atque egestas fingi possent, ne creditoribus satisfacere, atque integrum debitum persolvere cogerentur: Ad hanc igitur fraudem præcavendam admodum conducit omnium debitoris facultatum consignatio atque jurata indicatio.

IX.

III.

Tertiò, ad cessionem bonorum desideratur, ut creditores citentur ad actum bonorum cessionis, quia enim bonorum cessio pertinet ad creditorū præjudicium, idcircò meritò citari debent, quo videant rectè & legitimè eam expediri.

X.

Sed utrum omnes creditores citandi erunt, an verò aliquos solùm citari sufficiet? Videtur equidem quibusdam dicendum, quod omnes indifferenter creditores citari oporteat, quia omnibus per cessionem bonorum præjudicari videtur; sed verior tamen est opinio, quod hi tantum citandi sint, qui hactenus instituerunt apud debitorem atque solutionem urserunt, carceremq; minitati sunt: Cæteri verò, qui de solutione debitorem non interpellarunt, non item, quoniam his bona cedi non posse, ut à quibus nullum carceris periculum immineat, infra dicetur.

XI.

IV.

Quartò, ad bonorum cessionem requirunt vulgò & hoc, ut debitor bonis cessurus satisdet, hoc est, fidejussoribus caveat, quod si post cessionem pro-

spera

spera fortuna aliquid sibi acquisitum fuerit, de eo residuum debitum exsolvere velit; Nec enim cessio bonorum ab integri debiti obligatione liberat; sed à carceris duntaxat molestia liberationem præstat. *l. 1. C. h. t.* Mihi verò postremum hoc requisitum planè supervacuum & sine effectu esse videtur: Nam si ad pinguiorem fortunam debitor fuerit reversus, etiamsi satisdatio nulla fuerit præstita, jure tamen ipso actionibus legitimis ad cessionem faciendam eum compelli posse arbitror.

XII.

Cuinā bonu cedere possunt? An filiifam.

Porrò bonis cedere omnes possunt, quicunq; non reperiuntur jure prohibiti; sive patresfamiliâs sint sive filiifam. *l. 7. C. h. t.* Nam filiisfamilias tàm in castrensibus, quàm adventitiis bonis beneficium cessionis competere, eosdemque à molestia carceris liberari non minus atque patresfam. & rationis & æquitatis esse videtur, *d. l. 7. & l. 1. C. qui bon. ced. poss.*

XIII.

An minores viginti quinq; annis?

Nec quicquam interesse arbitror, utrum debitor, bonis cessurus, major sit, an verò minor viginti quinque annis; modò hic infantiam & eam, quæ proxima sit infantiæ, ætatem excesserit; Ita ut contumax existere atque ob contumaciam propriam incarcerari queat.

XIV.

An illi, qui incarcerari non possunt?

Excipiuntur verò à superiore regula, & bonis cedere prohibentur omnes illi, qui ob debitum civile & pecuniariam incarcerari nequeunt: Cum enim ob carceris molestiam evitandam bonorum cessio unicè sit introducta; atque hic principalis sit finis bonorum cessionis, ne obærati debitores in carceres cōjiciantur, *d. l. 1. & l. ult. C. h. t.* Idcircò in quibus causa isthæc finalis cessat; In illis quoque bonorum cessionem deficere, consequens est.

XV.

Veluti fœmina.

Hinc Fœminæ, licet olim bonis cedere potuerint æquè atq; mares, *l. penult. C. hic, in verbis filiusfamilias utriusq; sexus*, quia tamen ex Justiniani Novella constitutione amplissimum hoc beneficium ipsis tributum est, ne possint ob debitum civile & pecuniarium carceribus mancipari, *auth. sed hodie, C. de offic. divers. iudic. & Nov. 134. cap. 9.* atque ita ratio, *dict. l. pen.* correcta est, sequitur ipsam quoque legem esse correctam & consequenter hodie fœminas bonis non cedere.

XVI.

Ecclesia.

Eadem ratione Ecclesia, vel Respublica, quia incarcerari non potest, frustra cessione bonorum uteretur, *d. l. 1.*

XVII.

Medici, Professores & LL. Doctores.

Consimiliter cum Medicis, Professoribus ac legum Doctoribus Imperatoris Justiniani constitutione saluberrimè sit prospectum, ne propter ullum debitum civile realiter citari, vel carceri includi possint, ideò, ratione cessionis bonorum in ipsis deficiente, deficiet quoque ipsa bonorum cessio.

XVIII.

D[illegible] qu[illegible] [illegible] [illegible] causarum.

Hoc verò beneficium de non-incarcerando, utrum solùm Doctoribus legentibus at jura profitentibus competat, an verò ad advocatos & patronos causarum extendi quoque debeat, disquiritur? Verum generalitate, *d. l. medicos*, moveor ut his quoq; idem beneficium competere statuam.

XIX.

Cæterum illis, qui nec actu docent, nec advocationis munere funguntur quia nomine solum Doctores sunt, nec ulli juris sua scientia prosunt, idcircò præfatum beneficium denegari atque in locum ipsius flebile & miserabile cessionis bonorum auxilium competere statuo; maximè cum nec milites, qui actu non militant, sed extra expeditionem versantur, beneficiis & privilegiis militaribus gaudeant, §. 3. *Inst. de testam. mil.*

XX.

Legum Doctores, Procuratoris judicialis munus exercentes.

Sed quid de Doctoribus Legum, Procuratoris judicialis munus exercētibus, dicendum? Plerisq; placere eos beneficio, *d. l. medicos,* participes non esse; eò, quod procuratoris officium sit vile, l. 34. *C. de Decurion.* & ejusmodi ad quod nobiles & honoratæ personæ non admittantur, sed si eo fuerint perfunctę omni honore & dignitate priventur; Veruntamen contraria sententia mihi longè videtur esse verior: Nam procuratio judicalis est officium publicum, *l.* 2 *ff. de* R. I. & ejusmodi officium, cujus usus perquam necessarius est Reipubl. *l.* 1. § *fin. ff de procurat.* non igitur vile, abiectum, inhonestum & infame appellari potest; Ut taceam quod hoc officium procuratoris judicialis in Jure non solum probetur, sed etiam tanquam utile & necessarium Reip. commendatur, *in l.* 1. §. *fin. ff. de procurat. & princ. Inst. per quas person. ager. lic.*

XXI.

Item bonis non cedūt, qui beneficium habent, et in solidū conveniri non possint.

Insuper bonis cedere prohibētur, qui gaudent beneficio, ne ultra, quā facere possunt teneantur: Quales sunt I. mulier in solutione dotis, *l* 20. *ff. de re iud.* II. Socer in dote promissa genere solvenda, *l.* 21. *eod. t.* III. Maritus in dotis restitutione, *d. l.* 20. *de re iud.* IV. Socius ex contractu societatis à socio cōventus, *l.* 16. *ff de re iudicat.* V. Donator in rei donatæ traditione, *l.* 9 §. 1. *ff de re iudic.* VI. Et denique milites, actu adhuc militantes & in castris atq. expeditione versantes, *l* 6. *in pr. ff. de re iud.* Non etiam veterani: Tum quia milites propriè non sunt, *l.* 8. §. 2. *ff de procur.* Tum etiam quia privilegia militibus tributa veteranis non competunt, §. 3. *Inst. de test milit.* Hi quippe omnes hoc privilegio gaudent, quod conveniri nequeunt ultra id, quam facere possunt, sic, ut non ad extremum, quod dicitur obulum excutiendi sunt, sed tantum ipsis relinqui oporteat, quò honestè vivere & se sustentare queant. Quod si itaque solvendo non fuerint, ulterius urgendi & molestandi non sunt, quam facere possunt, nec in carcerem conjiciendi; ac consequenter beneficio cessionis bonorum planè non indigent, *l.* 1. *C. qui bon. ced. cogunt.*

XXII.

An & Fideiussorib. hoc beneficium competit?

Sed utrumnè beneficium istud, ne prædictæ personæ in solidum conveniri possint, fidejussoribus quoque illorum competat; disquiritur? Cum enim exceptiones atque beneficia, principali debitori competentia, fidejussoribus quoque tribuantur, *l.* 7. §. 1. *ff. de except. l.* 43. *ff. de solut.* omninò dicendum videtur, quod præfatum beneficium, ne ultra, quàm facere possunt, supra recensitæ personæ conveniantur, fidejussoribus quoque earundem competat: Veruntamen illorum sententiam probo, qui negant, beneficium istud, de non in solidum conveniendo, fidejussoribus illorum competere, qui ejusmodi beneficio sunt ornati: Est enim hoc beneficium personale, *d. l.* 7. *in pr. ff. de except.* Beneficium

... personalia non egrediuntur nec fidejussorib. prosunt, *d.l. 7 pr.*

XXIII.

Eadem hac ratione dicendum, nec heredibus mariti, uxoris, donatarii & socii hoc competere privilegium, ut in solidum non possint conveniri, & ad extremum obulum usque excuti: Privilegia quippe personalia nec ad heredes transmittuntur, *l. 196. ff. de R. I.* *An & heredibus?*

XXIV.

Cedere porrò bonis prohibetur debitor, qui à creditoribus suis solutionis nomine non est interpellatus nec molestatus, quia beneficium cessionis bonorum est subsidiarum & ex singulari commiseratione introductum, *l. 7. & 8 C. qui bon. ced. poss.* Atque eò unicè spectat, quo à carceris molestia debitor liberetur: Quando igitur debitori nullum imminet carceris periculum, non est audiendus bonis cedere volens. *An debitor à creditoribus non molestatus cedere bonis queat?*

XXV.

Pari ratione ad bonorum cessionem non admittitur debitor, qui locuples est, & satisfacere potest suis creditoribus: Nam nec hic ullam metuit incarcerationis molestiam. *An debitor locuples?*

XXVI.

Quid verò dicendum si debitor ad certam aliquam speciem ex contractu obligatus solvendo non est, annè bonis cedere ipsi permittitur? Ita omninò statuendum arbitror, si culpa debitoris factum est, ut species debita ab ipso præstari nequeat: Alioquin si casu fortuito perierit, liberatur à speciei præstatione debitor, *l. 14. ff. depos.* *An debitor ad certam speciē obligatus?*

XXVII.

Bonis insuper cedere potest debitor, qui pauperem habet creditorem, *arg. l. 1. C. qui bon. ced poss.* quod etiam eo casu procedere existimo, si causa creditoris sit onerosa, hoc est, si debitor creditori ex causa onerosa, veluti emptionis, venditionis, permutationis, vel mutui obligatus fuerit, quoniam hisce casibus ratio cessionis bonorum principalis locum sibi vindicat.

XXVIII.

Postremò quæritur de eo debitore, qui non propria sua culpa, prodigalitate videlicet & profusione sed fortunæ injuria ad eam inopiam redactus fuit, ut solvendo esse desierit, annè bonis cedere possit: Et verius est, beneficium cessionis bonorum ei necessarium non esse, cum ultra vires facultatum excuti nequeat, *Nov. 134 c. 1.*

XXIX.

Formam bonorū cessionis quod attinet, nulla omninò ad eam requiritur juris solennitas, sed sufficit sola voluntatis professio Duaren. *ad tit. de cession. bonor. cap. 2.* nec desideratur consensus creditorum, *l ult. C. qui bon ced poss.* & potest fieri, vel à præsente debitore, vel per epistolam, vel per internuncium. *Forma.*

XXX.

Materia cessionis bonorum sunt debita civilia ex contractibus promanantia. Nam super debito ex delicto descendente cessio bonorum non admittitur: Indigni enim sunt legum beneficio, qui contra leges delinqunt, *l. auxilium, 37. ff. de minorib.* Et insuper nihil magis ex utilitate publica esse videtur, quam ut delicta puniantur, *l. 51. ad Leg. Aquil.* *Materia.*

XXXI.

XXXI.

Finis. *Finis* cessionis bonorum hic est, ut obærati debitores, qui creditoribus suis solvendo non sunt, in carcerem conjiciantur, sed à carceris molestia cessione bonorum liberentur, *l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.*

XXXII.

Effectus. *Effectus* bonorum cessionis hic est, ut debitor, qui bonis cessit, etsi in carcerem conjici nequeat, ad extremum tamen obulum excutiatur, omnibusque suis facultatibus exuatur, etsi summa egestate & inopia laborare cogatur. II. Quod etsi obligatione bonorum cessio non liberet debitorem, *d. l.* 1. tamen si postmodum ad pinguiorem fortunam pervenerit, hoc efficit, ut non possit conveniri à creditoribus ultra id, quod facere potest, sed tantum ipsi sit relinquendum, unde honestè sese sustentare queat, *l. qui bonis, & l. si debitoris, ff. de cession. bonor.*

XXXIII.

Non tamen hunc effectum habet bonorum cessio, ut debitor bonis cedens, infamia afficiatur, *l.* 11. *C. ex quib. caus. infam. l. ult. ff. qui bon. ced. poss.* quamvis nonnullam maculam, ei præsertim, inurere soleat, qui causam inopię & paupertati præbuit.

XXXIV.

Ad effectum quoque bonorum cessionis pertinet, quod creditores propria authoritate bona occupare eorum possessionem ingredi non possunt, *l. legis Iuliæ, C. qui bon. ced. poss.* Verum instare debent, ut curator bonis cessis constituatur, qui ea bona vendat & pecunia ex illis redacta pro parte satisfaciat creditoribus, *l. de curatore, ff. de curator. bonis dand.*

XXXV.

Contraria. Cessioni bonorum contrariatur renunciatio expressa, ut si debitor tempore contractus, inter alia beneficia, etiam huic beneficio cessionis bonorum renunciaverit; Quisque enim beneficio suo renunciare potest, *l. pen. C. de pact.* & renunciatio hoc operatur, ut renunciantem à beneficio excludat, *d. l. pen. & l.* 4. *ff. de pact.* Quin etiam tacitè renunciari isti beneficio intelligitur, quando quis cum alio contrahendo ad carceres se obligat in eventum non factæ solutionis: Hanc enim pactionem valere & observandam esse contra communem Dd. opinionem mihi persuasissimum habeo.

COROLLARIA.

1. *An in causis criminalibus pater pro filio defensor admittatur?* Neg.
2. *An in criminalibus causis remissio fieri debeat facinerosi ad locum delicti, si petat magistratus eius loci?* Aff.

SOLI DEO GLORIA.